

fuisse si quis credere velit, eum vix aegreque redarguas. horum Graecorum more etiam praenominis Gai usus Romae inolevisse potest.

Ad docendum scribendumque omne studium Gaius contulit. conscripsit ante Institutiones libros ex Quinto Mucio et edicti interpretationem (cf. Inst. 1, 188; utrum ad edicti praetoris urbani an ad edicti provincialis commentarios, utrosque sub Antonino Pio confectos, haec verba referenda sint, dubitatur), aut post Institutiones aut incerto tempore alia, in summa centum fere libros.

Excellit noster minus ingenio profunditate doctrina sagacitate inventionem quam levitate elegantia perspicuitate simplicitate explanatione. quae virtutes pedestres secundi ordinis iuris consultum eum labentibus saeculis commendarunt, quae et laudibus eum extulerunt et triverunt manibus (cf. ex. gr. C. Th. 1, 4, 3 a. 426). utrum Ulpianus in elaborando regularum libro singulari, qui ad verbum multis partibus cum Gaio convenit, Institutiones Gaianas adhibuerit an potius ex fonte eodem quo Gaius, ceterum ignoto (Sabini vel Sabinianorum alicuius) hauserit, in incerto relinquimus. Iustinianas Institutiones Gaianis praecipue niti nemo est qui ignoret.

Institutionum commentarios¹ quattuor, opus introducendis in iuris disciplinam tironibus tam destinatum quam aptum, Gaius partim ante Nonas Martias a. 161, partim post exaravit, cum Antoninum Pium vivum primo laudet (Inst. 1, 53; 74; 102. 2, 126; 151 a), deinde divum appellet (2, 195). libros quattuor una omnes potius quam singulos deinceps publicavit. libros dicimus; namque Institutiones nostras dictata Gai praepetoris esse currente calamo in auditorum pugillaribus excepta et ab ipso Gaio publici iuris facta, ideo videtur refutandum, quia et orationis nitor et in rebus componendis diligentia pessumdari via illa solent neque verisimile est ma-

1) commentarius quid significet, optime exposuit R. Frese, Beiträge zur Beurteilung der Sprache Caesars, München 1900, p 11 sq.